



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.
Pont. Max. Liber II.**

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

§. I. De Possessione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)

TITULUS XII.

De Causa Possessionis, & Proprietatis.

Inter reliquas causas, quæ sæpe in Judici tractandæ occurrunt, est Causa Possessionis, & Proprietatis: quæ proinde, quo modo, & ordine in Judici

proponi debeant, præfenti Titulo discutietur. Antequam verò hoc faciam, necessariò aliqua præmittenda de ipsa Possessione, & Proprietate.

§. I.

De Possessione.

SUMMARIUM.

1. Definitio Possessionis.
2. Divisio in Possessionem Juris.
3. Et facti.
4. Hujus varietas.
5. Acquiritur Apprehensione vera.
6. Circa hanc notanda.
7. 8. 9. Apprehensione ficta.
10. Et dispositione Legis.
11. Modus acquirendi possessionem rerum incorporarum.

12. Numerus Actuum ad hoc requisitus.
13. 14. Amittitur Possessio aliquando volente Possessore.
15. 16. Aliquando nolente, vel ignorante illo.
17. Modus amittendi possessionem Jurium, & aliarum rerum incorporalium.
18. 19. 20. 21. Commoda, & Privilegia Possessionis.

Quæritur 1. quid sit Possessio? *¶* Possessionis nomen, Grammaticali derivatione à verbis posse, & sedere ortum, varias significationes habet; nam, ut alias omittam 1. interdum nomen hoc tribuitur ipsis rebus possessis, ut constat ex l. cum miles 11. ff. de alien. Judic. mut. caus. & l. questio 115. ff. de V. S. 2. Aliquando Proprietatem significat, ut monet Paulus l. interdum 72. ff. eod. 3. Non rarò pro Usucapione sumitur, prout fecit Ulpianus l. ait Prator 23. §. is autem 1. ff. ex quib. caus. major. 4. & prout ad præsentem maximè tractationem pertinet, accipitur pro actu, sive jure possidendi, à quo denominatur Possessor, & res possessa. Actus possidendi dici solet Possessio facti; Jus verò possidendi appellari consuevit Possessio Juris, ut notat Less. l. 2. de Just. c. 3. n. 39. Aliter definiri Possessio Juris, aliter possessio facti debet. Hinc

Dub. 1. quid sit Possessio Juris? *¶* est Jus insistendi rei, tanquam lux, non prohibita possideri. Ita Bartol. in l. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. Covar. in reg. Possessor p. 2. n. 3. prin. Less. l. cit. n. 41. Dicitur 1. Jus: quo distinguitur à possessione facti, quæ revera non est ipsum Jus, sed si quidem justa fuerit, parit Jus. Dicitur 2. insistendi rei: quo distinguitur à dominio, seu proprietate; nam vi solius possessionis non competit possessori jus disponendi de re, sicut vi dominij competit, sed tantum, ut possessor possit rem per Juris remedia sibi tueri, aut etiam

vim vi repellere, aut pacificè, donec à vero domino evincatur, retinere; nam hoc est rei insistere. Dicitur 3. tanquam suæ: hinc sequitur, quòd Tutor bonorum pupilli, Administrator, & Servus rerum sui domini possessor non fit; quia non suo, sed alterius nomine rem illam detinent. Dicitur 4. non prohibita possideri: nam contra expressa Jura non datur Possessio Juris: hinc rerum Sacrarum Laicus, & communium, ac publicarum homo privatus possessor non fit ex Legum dispositione.

Dub. 2. quid sit Possessio facti? *¶* hæc communiter definiri solet, quòd sit detentio rei corporalis, corporis, animi, & Juris adminiculo. Ita Host. in Summ. b. tit. n. 1. Covar. l. cit. n. 2. Azor. p. 3. l. 1. c. 31. q. 2. Molin. tr. 2. de Just. D. 12. n. 3. Less. l. cit. n. 40. Fermosin. b. tit. q. 2. n. 2. Pax Jordan. l. 14. tit. 11. n. 2. Vallenf. n. 4. Pirh. n. 2. Sannig c. 1. n. 6. & alij communiter. Dixi 1. Detentio, seu apprehensio rei; nam dum primò apprehenditur res corporis, animi, & Juris adminiculo, acquiritur Possessio; dum apprehensa detinetur, illa continuatur. Dixi 2. rei corporalis: quod etiam in priore definitione subintelligi debet; nam incorporalia, ut sunt servitutes, jus eligendi, decimandi &c. propriè non possideri, sed quasi possideri dicuntur c. cum Ecclesia 3. junct. Gloss. V. quasi possessionem b. tit. l. possideri 3. princ. ff. de acquir. vel amitt. possess. & ibi Gloss. V. corporalia. Hæc tamen Juris inter possessionem, & quasi possessionem distinguendis accuratè

sæpe non observatur, & rebus incorporalibus possessio passim attribuitur, ut bene advertunt Covar. *l. cit. n. 2.* Haun. *tom. 1. tr. §. n. 203.* Wiest. *hic n. 4.* Dixi 3. corporis; quia apprehensio, quæ constituat possessionem, debet esse corporalis sive verè, sive saltem per fictionem Juris: de quo infra *num. 5.* Neque obstat, quòd possessio, quæ dicitur *Civilissima*, sine vera, aut ficta corporis detentione, & ulla animi affectione ab uno in alium transferatur, sicut fit in Gallia, Hispania, Italia, & alibi, ubi Majoratum, aliorumque bonorum defuncti possessio in proximum agnatum etiam ignorantem transit, quantumvis illa fortassis ab alio jam occupata, imò eidem à defuncto ante obitum fuissent tradita. Non, inquam, istud obstat; tum quia supra posita definitione solum explicatur possessio, de qua Leges Romanæ agunt; tum quia in illis Regnis defectum animi, & ipsius etiam apprehensionis corporalis in subdito supplet Resp. eidem hujusmodi possessionem concedens. Dixi 4. *animi*: quia ad detentionem corporalem, ut constituat possessionem, requiritur etiam, ut fiat cum intentione, quæ quis vult rem retinere ut suam, & haberi, vel saltem apparere dominus, esto ipsemet, eò quòd sciat injustam esse suam detentionem, se verum dominum esse non judicet. Ratio autem, quare intentio hæc requiratur, est; quia aliàs possideretur à nobis, quidquid calcaremus pedibus, vel contrectaremus manibus. Dixi 5. *Juris adminiculo*: quo innuitur, non quasi omnis possessio facti iusta sit, aut positivè approbetur à Jure; nam hoc falsum est, cum fur rem furtivam verè possideat, & tamen injustè, & contra Leges: sed ijs terminis significatur solum, quòd Jus non debeat resistere possessioni tollendo possidendi, seu possessionem capiendi capacitatem, sicut tollit circa bona sacra Laico, circa bona communia privato, ut *n. 2. in fine dictum est*: qui proinde bonorum istorum capere possessionem nequeunt.

Dub. 3. quotuplex sit Possessio facti? *1.* multifariam posse dividi; nam *1.* dividitur in Justam, & Injustam. *Justa* est, quæ iusto, & legitimo titulo innuitur; *Injusta*, quæ tali titulo destituitur. *2.* In Possessionem bonæ, & malæ fidei. *Bonæ fidei possessio* est iusta, & Legibus confirmata; *malæ fidei* verò est injusta, ac Legibus reprobata possessionis scientia. Confundunt aliqui apud Donell. *l. 5. comment. c. 7.* hanc secundam divisionem cum priore: sed malè; potest enim bonæ fidei possessio esse revera injusta, si sc. nitatur titulo solum existimato, & malæ fidei esse revera iusta, si quis putans esse alienam rem suam possideat. Wiest. *hic n. 11.* *3.* In Propriam, & Impropriam, seu quasi possessionem. *Propria* est rerum corporalium, ut *n. præc. dictum est*; *Impropria*, seu *Quasi possessio* est

rerum incorporalium, puta Beneficij, Juris eligendi, venandi, servitutum &c. Hæc Germanicè dicitur *Nebenbesitzung*; ac eodem in Jure effectus habet, quod Possessio Propria.

Quarta, & celeberrima Possessionis divisio est in Naturalem, Civilem, & Mixtam.

Naturalis est, cum quis rem quidem possidet corporis, & animi adminiculo, alius tamen præterea ejusdem rei possessionem civilem retinet.

Civilis, ut à Naturali separata est, cum quis rem aliquando naturaliter possidem, non quidem actu corporis vel per se, vel per alium, fed animi tamen adminiculo possidere pergit.

Mixta est, quando quis corporis, & animi adminiculo rem ita actualiter possidet, ut nullus alius ejusdem rei possessionem Civilem retineat.

Hæc est perfectissima possessio; ex duabus cæteris Civilis prævalet Naturali. Unde ille tantum, qui Civiliter possidet, absolute Possessor dicitur; alter verò Possessor cum addito *Naturalis*, seu *naturaliter*, ut bene advertit Molin. *tr. 2. de Just. D. 12. n. 9.*

Quæritur 2. quomodo acquiratur Possessio? *1.* distinguendum inter Possessionem rerum corporearum, & incorporearum. Possessio rerum corporearum acquiritur tribus modis, Apprehensione vera, Apprehensione ficta, & Dispositione Legis.

Dub. 1. quid sit *Apprehensio vera*, & quomodo per eam acquiratur Possessio? *1.* *Apprehensio vera* est, quæ vel fit manibus eas rei iniiciendo, cujus possessores esse volumus, aut pedibus, insitendo scilicet fundo, quem velut nostrum habere contendimus. Si res mobilis sit, accipitur manibus; si immobilis, intratur pedibus.

Quatuor maximè casibus Apprehensio vera est necessaria ad acquirendam Possessionem.

1. Si res sint, quæ domino carent, ut sunt fera; item gemmæ, & margaritæ in maris littore, thesauri, Insulæ in mari natæ, res pro derelicto habitæ *§. 12. 22. 39.*

§. 47. Inst. de ver. divis. l. possessio 1. §. dominumque 1. ff. de acquir. vel amitt. possess.

2. Si sint bona defuncti; quia hæc domino carent, à quo tradantur. Igitur ut eorum acquiratur possessio, opus est, ut apprehendantur à possidere volente *l. cum heredes 23. in princ. ff. eod.*

3. Si quis clam, aut vi vult aliquid possidere v. g. depositarius depositum; nam hic, ut fiat possessor, rem apprehendere, & loco movere debet *l. possideri 3. §. si rem 18. ff. eod.* ubi etiam datur ratio; quia sc. *furtum sine contrælatione fieri non potest.*

4. Si alius rem possidens nolit tibi possessionem reddere. Less. *l. 2. de Just. c. 3. n. 47.*

Excipitur, nisi apprehensionem veram auctoritas Magistratus suppleat; hac enim Possessor fieri aliquis sine reali apprehensione potest, etiam in casibus, in quibus aliàs apprehensione reali opus est: satisque erit, si

res

res possidenda ei, cui traditur, eminus ostendatur; imò si visu fieri non potest, sufficit tradi solo verbo, ut colligitur ex c. contingit 9. de dol. & contum. l. quamvis 13. ff. de bon. auth. Jud. possid. & notat Molin. tr. 2. de Just. D. 13. n. 6. cum alijs.

6 Præterea circa Apprehensionem veram tria adhuc sunt advertenda.

1. Capere mediante illa aliquis Possessionem potest vel per se, vel per alium, puta filium, servum, procuratorem, fructuarium, & similes &c. l. possessio 1. §. adipiscimur 1. & seqq. ff. de acquir. vel amitt. poss. de quo præter alios videatur Azor p. 3. c. 33. per totum.

2. Ut apprehensione vera capiatur possessio, opus non est, ut singulæ partes domus, vel fundi apprehendantur, sed satis est ingredi aliquam illius partem animo possidendi totam domum, vel fundum; tunc enim jam acquiritur possessio totius domus, aut fundi l. possideri 3. §. & adipiscimur 1. ff. eod. Molin. tr. 2. D. 13. n. 1. imò & mobilium, quæ reperiuntur in domo, si animus possidendi se ad illa extendat, ut cum cit. Molin. n. 2. rectè advertunt Schneidev. in §. possidere 5. Inst. de Interd. n. 103. & seqq. Sabell. in Summ. §. possessio n. 12. Pirh. hic n. 6. König n. 29. Wiest, n. 23.

Idem dicendum de possessione Beneficij, Dignitatis, Regni &c. nam horum sufficienter possessor constituitur, qui accipit possessionem Sedis, Coronæ Regiæ &c. Neesse tamen est, ut illa plura constituent unum morale totum; nam si unum morale totum non constituent, sed sint e. g. plures ædes, plura bona &c. neesse est intrare singula quoad aliquam illorum partem, ut cum alijs cit. idem Molin. n. 2. cit. haber.

3. Si res aliqua, cujus possessio comparanda est, capi consuevit non per partem sui, sed per id, quo continetur, ut vinum contentum in vase, sufficit eam capi per id, per quod capi aliàs consuevit: neque necessarium erit eam manibus contrectari immediate. Molin. l. cit. n. 3.

7 Dub. 2. quid sit Apprehensio ficta, & quomodo per eam acquiratur Possessio? Apprehensio ficta est, quando nec manibus, nec pedibus res possidenda apprehenditur, intervenit tamen aliquis alius actus, qui ex fictione, seu dispositione Juris apprehensioni veræ æquivalet, & illius vim obtinet. Locum habet, quando res traditur à Possessore antiquo, vel ejus loco auctoritate publica. Varijs modis fieri potest, quos enumerant Azor p. 3. c. 32. per totum, Molin. tr. 2. de Just. D. 13. a. n. 8. Less. l. 2. c. 3. n. 47. & 48. Pal. tr. 31. D. un. p. 24. §. 2. à n. 5. Schneidev. in §. possidere 5. Inst. de Interd. à n. 110. & alij passim.

Et 1. quidem per Traditionem clavium præsentem re factam, modò non custodiæ causâ tantum tradantur; nam si quis mihi vendiderit frumentum, quod in horreo est, & simul horrei claves tradiderit, protinus in

me frumenti possessio cum dominio erit translata, si tamen traditio clavium apud horreum fiat §. item si quis 45. Inst. de ver. divis. l. clavibus 74. ff. de contrab. empt. l. qua ratione 9. §. item si 6. ff. de acquir. rer. domin.

2. Per Visum, si antiquus possessor eminus, vel cominus ostendat oculis meis fundum, & dicat se vacuam illius possessionem tradere, ego verò significem me traditionem hanc acceptare l. quod meo 18. §. si venditorem 2. ff. de acquir. vel amitt. poss. oculi enim sunt veluti longæ quædam manus, quibus res visas quasi contrectamus.

3. Per Appositionem brevis manûs, si nempe quis rem suam tibi prius commodatam, locatam, aut apud te depositam postea tibi vendat, aut donet l. qua ratione cit. §. interdum 5. & l. possideri 3. §. sed si 20. ff. de acquir. vel amitt. poss. nam facta dominij translatione, rem prius nomine alieno detentam, incipis possidere tuo nomine, & idem est, ac si illam ex causa commodati, locati, depositi restituisset domino, & eandem denuo ab ipso ex causa emptionis, vel donationis recepisset §. interdum 44. Inst. de ver. divis. l. si rem 62. princ. ff. de eviccion.

4. Per Traditionem scripturæ, seu instrumenti, quo pristini possessoris Jus continetur; censetur enim scriptura talis rem ipsam continere, ita ut cum ea etiam ipsa tradita videatur l. emptionem 1. C. de donation. Quod verum habet tam in rebus mobilibus, quam in immobilibus, cum Lex adducta loquatur generaliter. Neque eo casu, ut in traditione clavium, præsentia requiritur; quia de hac in l. cit. nulla fit mentio, & aliàs traditio scripturæ nihil omnino operaretur, cum, ut paulò antea dixi, solus aspectus acquirendæ possessioni sufficiat.

5. Per substitutionem antiqui possessoris, si is, qui tibi rem donavit, aut vendidit, in ea sibi retineat Usumfructum, aut constituat se Conductorem, Depositarium ejusdem, vel alio modo possidere eam velit tuo nomine; tunc enim, si tu hoc ratihabeas, sine alia traditione acquiris possessionem ædium, vel prædij tibi donati, aut venditi l. quod meo 18. princ. ff. de acquir. vel amitt. poss. ubi ratio datur; nam possidet, cujus nomine possidetur.

6. Per appositionem custodia, si novus possessor, consentiente antiquo, apponat custodiam rei l. quarundam 51. ff. eod. Et parum refert, an res illa præsens, vel absens, mobilis sit, vel immobilis. Proceditque hoc, etsi custos nesciat, ad quem effectum appositus sit, ut bene notat Pal. l. cit. n. 11. Custodis namque apprehensio, & possessio censetur factum ipsius mittentis.

7. Per signationem rei vendite, ut si quis emat duo pecora ex grege aliquo, & venditore consentiente accipiat, & signet tanquam sua l. quod si neque 14. in fin. ff. de peric. & commod. rei vendit. Neque obstat, signa-

signationem non esse causam concludentem, quod res signata tua sit, cum signum istud apponi potuerit ab alio; nam possibilis alterius deceptio non impedit signationem a te esse factam, qua mediante rem emptam tuam esse fateris. Pal. n. 12.

8. Per *clausulam constituti*; nam si præcedente donatione, venditione, aliòve titulo habili ad transferendum dominium, donator, venditor &c. constituat se possidere nomine donatarij, emptoris &c. & hic consentiat &c. eo ipso illi possessio quaritur; quia tali constitutione quasi procurator illius efficitur l. quod meo 13. l. qui bona fide 19. l. interdum 21. §. fin. ff. de acquir. vel amitt. poss.

9. Per *Investituram*: hac enim per annuli, ensis, pilei, vel alterius hujusmodi signi traditionem post Prælaturæ, vel alterius Ecclesiasticæ, aut etiam Sæcularis Dignitatis titulum, sive jus in re, & proprietatem jam obtentam, si in Ecclesiâ, Palatij, Domus &c. præsentia fiat, non Dignitatis duntaxat, sed bonorum quoque temporalium, juriumque annexorum possessionem acquiri arg. l. quod meo cit. §. si venditorem 2. & l. clavibus 74. ff. de contrab. empt. volunt Laym. l. 3. tr. 1. c. 7. n. 2. Schneidev. l. cit. n. 122. Pirh. hic n. 6. Wiest. n. 26.

10. Dub. 3. quomodo acquiratur rei Possessio *dispositione Legis*? Hac sola, si apprehensio rei vera, aut ficta non accedat, comparari possessionem posse, negarunt Bald. in l. 1. C. commun. de Legat. princ. n. 1. & in c. 1. de dol. n. 1. Aretin. in l. 1. ff. de acquir. poss. Segura in repetit. l. quemadmodum col. 5. eod. tit. & plures alij, quod possessionis acquisitio ex natura rei exigat detentionem, sive ut Jctiloquantur, detentionem, & corporalem occupationem l. qui universas 30. §. quod per colonum 5. ff. de acquir. vel amitt. poss.

Sed verior est sententia aliorum, qui cum Pal. tr. 31. D. un. p. 24. §. 2. n. 16. Schneidev. in §. possidere 5. Instit. de Interd. n. 89. Sabell. §. possessio n. 1. Wiest. hic n. 29. & alijs apud istos docent Legis dispositione dari possessionem absque ullo actu apprehensionis vero, vel ficto posse. Colligitur aperte ex c. cum Ecclesia 3. h. tit. & c. contingit 9. de dol.

Ratio est, quia possessio, illiusque effectus Jure solum positivo inductus est arg. l. peregre 44. ff. de acquir. poss. §. l. nemo 10. C. eod. atqui ea, quæ sunt Juris positivi humani, eodem, vel alio Jure, aut etiam consuetudine tolli, & variari possunt arg. §. sed naturalia 11. Instit. de J. N. G. & C. & l. de quibus 32. fin. ff. de Legib. ergo &c. Conf.

1. exemplo manifesto ex c. contingit cit. ubi casu, quo missio in possessionem bonorum rei contumaciter absentis à Juce primò decreta est, & actor ob potentiam, aut fraudes Adversarij actualem illorum detentionem non potest acquirere, elapso anno idem actor verus possessor quoad Juris effectus efficitur: quod Gloss. ibi V. actor & l. quamvis 13. V.

perinde habetur ff. de bon. auct. Jud. possid. existimat cit. l. etiam constitutum de Jure Civili. Conf. 2. ex praxi recepta apud Gallos, & Belgas, apud quos Majoratus possessio, quæ apud defunctum fuit, sine ulla hæredis apprehensione in filium, vel proximum agnatum continuatur, ut jam notavi supra n. 3.

Dub. 4. quomodo acquiratur Possessio, vel Quasi possessio rerum incorporearum, seu Jurium? Pro hujus questionis resolutione distinguendum est inter Jura, quæ non in hærent rei corporali, uti est jus eligendi; & ea, quæ corpori in hærent, ut Servitutes. Jurium nulli rei corporali in hærentium possessio acquiritur per ejusmodi Jurium usum, accedente scientia, & patientiâ illius, ad quem pertinet concedere, vel resistere actui; si tamen usus, sive actus, quo ejusmodi Jure quis utitur, quasi ex Jure sibi competente, & non præcisè ex gratia, & benevolentia alterius exerceatur, Molin. tr. 2. de Just. D. 14. n. 1. §. 3. Haun. tom. 1. tr. 3. n. 221. Wiest. hic n. 30. & alij passim.

Secundi generis Jurium, & Servitutum possessio comparatur duplici modo. 1. Per introductionem, vel immisionem in fundum, qui servare debet, animo tradendi per eum, vel ejus voluntate, qui servitutum constituit l. omnium 3. §. dare ff. de usufr. Haun. tr. 3. cit. n. 222. Wiest. hic n. 30. 2. Per exercitium, sive usum servitutis tanquam sibi debita: ubi tamen distinguendum est inter Servitutum affirmativam, & negativam; nam ut acquiratur possessio servitutis affirmativæ, e. g. viæ, itineris, actus &c. sufficit exerceri hos actus cum scientia, & patientia ejus, cuius interest, usum illum permittere, vel prohibere: Ut verò acquiratur possessio servitutis negativæ, e. g. altius non tollendi, opus est, ut qui illam vult acquirere, altius tollere volenti, quasi jure suo contradicat, eumque prohibeat, & huic contradictioni, vel prohibitioni alter acquiescat. Gloss. in c. Abbate 25. V. Alciatensem de V. S. Molin. tr. 2. D. 14. n. 2. §. 3. Haun. n. 222. cit. Wiest. n. 32.

De numero actuum, quot requirantur ad acquirendam possessionem, dissentiunt DD. Covarr. in Reg. Possessor p. 2. princ. n. 6. Menoch. de Arbitr. cas. 160. n. 2. & alij ab his cit. unico actu simpliciter contenti sunt. Rectius distinguitur inter Servitutes affirmativas, & negativas. Servitus negativa, qualis est altius non tollendi, ut n. præc. dixi, acquiritur per unicum actum, puta per unicam prohibitionem cum patientia Adversarij. Schneidev. in §. possidere 5. Instit. de Interd. n. 126. Si agatur de acquirenda possessione Servitutis affirmativæ, altera distinctio est adhibenda, & considerandum, quales sint actus, quibus hujusmodi Jus, vel Servitus exercetur; nam si tales sunt, qui vix unquam alicui conceduntur ex gratia v. g. ut extraneus, & qui non est de Collegio, ha-

beat

beat vocem activam inter Capitulares, tunc unus actus sufficit ad acquirendam quasi possessionem Juris eligendi, prout sumitur ex c. cum de beneficio 5. de prebend. in 6. l. ait Pretor 1. §. questum 21. ff. de aqu. quotid. & docent Imol. in c. cum Ecclesia 3. h. tit. n. 7. Abb. ibid. n. 22. Schneidev. l. cit. n. 127. Pirh. hic n. 10. König n. 41. Sannig c. 2. n. 4. Si verò sunt actus, qui ex amicitia, & gratia alteri concedi solent, sed raro, & non frequenter, ut ire in fundum alterius, pomum decerpere, aucupium exercere &c. & tunc non sufficit unus actus, sed plures requiruntur arg. l. Pretor ait 1. §. hoc Interdicto 1. ff. de itin. actusque privat. ut adeò verifimiliter constet, utentem non ratione amicitiae, sed jure suo illos actus exercuisse.

Si denique sunt actus, qui etiam frequenter ex gratia, & benevolentia alicui concedi solent, tunc etiam plures actus saepius frequentati non sufficiunt ad acquirendam quasi possessionem Juris: & hinc etsi millies aliquis ad mensam alterius vocatus fuerit, per hoc tamen non presumitur ipsi quæsitæ possessio. Opus igitur erit, ut considerentur circumstantiæ, & ex his, ipsaque qualitate actus colligi debet, quo animo aliquis ad ejusmodi actum, vel actus admittitur fuerit, ex gratia, an ex debito.

Quæritur 3. quibus modis amittatur Possessio? R. hanc amitti posse vel volente, vel invito Possessore. Et hinc

Dub. 1. quando amittatur possessio volente Possessore? Certum est 1. eam amitti, quando res possessa relinquitur animo simul, & corpore, ut exploratum est apud omnes.

Certum est 2. non amitti solo corpore possessionem Civilem; quia ad hanc conservandam, seu retinendam plerumque sufficit solo animo possidere l. possideri 3. §. sed & si 7. ff. de acquir. vel amitt. possess.

Difficultas est, an Possessio amitti possit solo animo? Et videtur tenenda sententia negativa ob textum l. quemadmodum 2. ff. eod. ubi Paulus, Quemadmodum, inquit, nulla possessio acquiritur, nisi animo, & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est. Sed retinenda est affirmativa ob claros textus l. possideri cit. §. in amittenda 6. & l. si quis vi 17. §. differentia 1. ff. eod.

Et hinc si quis manens in fundo, quem alteri vendidit, velit ipsum non amplius suo, sed emptoris nomine possidere, non amplius retinet possessionem fundi. Azor p. 3. l. 1. c. 34. q. 2. Molin. tr. 2. D. 15. n. 1. Pal. tr. 31. D. un. p. 24. §. 6. n. 2. & ratio est, quia facilius amittitur possessio, quam acquiritur.

Ad Argumentum in contrarium dico, textum illum intelligendum, quando incipitur à corpore, seu quando corpore quis exit è fundo; tunc enim non amittit possessionem, nisi desinat etiam habere animum possidendi: secus autem, quando incipitur ab animo; tunc enim sufficit, ut solo animo desinat possidere, etiamsi corpore adhuc rei

insistat, ut notat Gloss. in §. amittenda cit. V. solo animo; hic enim præcipue in hoc puncto spectandus est.

Est autem perinde in ordine ad amittendam Possessionem, si illi, cui rem possidendam tradis, quæri possessio possit, si non; nam etiam si tradas, cui possessio quæri non potest, si absolute eandem tradas, possessionem amittis; quia possessionis amissio non pender ex eo, quòd alteri quærat, sed ex eo, quòd tu velis eandem perdere l. possessio 1. §. si vir uxori 4. & l. quod meo 18. §. si furioso 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. Secus est de dominio; hoc enim si velis alteri conferre, & intentum non obtineas, quia illius est incapax, non amittis, tamen rem ipsam mediante titulo tradas l. nec utilem 20. ff. ex quib. caus. major. l. cum quis 38. §. si debitorem 1. ff. de solution.

Et ratio est, quia non alio animo censetur sic tradens dominio rei traditæ velle se abdicare, quam ut illud in alterum, cui tradidit, transferat: hinc retinebit, si iste dominij acquirendi sit incapax. Quod si tamen etiam possessionem relinquens non alia conditione illam velit relinquere, quam ut illam in eum, cui tradidit, transferat, etiam ipse retinebit possessionem eam, quo ejusdem traditio effectum non foritur; quia tunc est actus conditionatus, qui vim non habet, nisi conditione impleta.

Dub. 2. quomodo amittatur Possessio rerum mobilium, nolente, aut ignorante antiquo possessore?

R. Mobilium possessio varijs modis amittitur, quos enumerat Azor p. 3. l. 1. c. 34. princ. Molin. tr. 2. D. 15. n. 7. Lesl. l. 2. c. 3. n. 50. & alij passim. Et 1. quidem per furtum, & rapinam alterius l. rem 15. & l. si rem mobilem 47. ff. de acquir. vel amittend. possess. ubi statuitur, tali casu possessionem amitti à domino, vel antiquo possessore, & eam acquiri à prædone, aut fure.

2. Per fraudem Depositarij, si hic rem apud se depositam, ut suam apprehendat, & loco moveat l. possideri 3. §. si rem 18. ff. eod.

3. Per amissionem rei e. g. gemma, annuli &c. ut non sciatur, ubi sit l. si id quod 25. princ. ff. eod.

Neque obest, quod nullus alius eam possideat; nam eo casu bona amissa fiunt incerta. Aliud dicendum de ijs rebus, quæ adhuc sunt in nostra custodia, e. g. intra domum nostram, sed non occurrunt; nam hæc amissa cenferi non debent, & cons. neque amittitur earum possessio l. possideri cit. §. Nerva 13.

4. Per fugam rerum animatarum: ubi tamen distinctio est facienda; nam possessio hominis, ut servi, aut ancillæ non amittitur per illorum fugam, donec ab alio occupentur, vel nisi diu se gerant pro liberis l. possessio 1. §. per servum 14. l. possideri cit. §. si servus 10. l. Pomponius 13. princ. ff. eod.

Si brutum sit animal, quod fugit, distingui debet inter animalia domestica, & non domestica. Animalium non domesticorum, ut piscium, avium,

avium, & ferarum silvestrium captarum possessio amittitur, postquam custodiam hominum effugientes ad suam redire naturalem libertatem, esto, in agro prioris domini commorentur: at animalium domesticorum, vel cicuratorum possessio tunc primum amittitur, quando consuetudinem eundi, & redeundi amiserunt §. *Nerva cit.* §. *seqq.*

16 Dub. 2. quomodo amittatur Possessio bonorum immobilium, nolente domino, vel antiquo possessore? *¶* etiam hæc varijs modis amitti potest, ut videre est apud Azor p. 3. l. 1. c. 34. Less. l. 2. c. 3. n. 51. Molin. tr. 2. D. 15. n. 3. §. *seqq.* Pal. tr. 31. D. un. p. 24. §. 5. n. 5. & alios passim. Et 1. si possessor sit longo tempore absens, nec per alium rei infestat, vel protestetur se nolle amittere possessionem l. *clam possidere 6.* §. *qui ad nudinas 1. ff. de acquir. vel amitt. poss.* 2. Si per vim à possessione dejectus sit; sed tunc solum amittit possessionem naturalem, quamdiu animum recuperandi retinet l. *rem 15. ff. eod.* 3. Si rem sciat ab alio occupatam, & negligat illam vindicare sibi arg. l. *quamvis 46. ff. eod.* 4. Si reverfus itatim quidem repetat suam possessionem, sed ab occupante repellatur, nec audeat ei resistere l. *clam possidere cit. fin. l. sed id 25. §. fin. ff. eod.* 5. Si timens repulsam non audeat repetere, aut invadere possessionem l. *possideri cit. §. siquis nuntiet 8. l. §. si nolit 7. ff. eod.* 6. Si res à fulmine, vel ab hoste ita sit occupata, ut non sit probabilis ejus recuperatio l. *possideri cit. §. Labeo 17.* 7. Si nesciat rem esse suam, aut si aliunde præsumatur animus possidendi desisse. Videantur DD. *citt.*

17 Dub. 3. quomodo amittatur Possessio Jurium, & rerum incorporalium? *¶* etiam istarum possessionem nolentes, & volentes amittimus. Fit autem hoc 1. si vel per negligentiam, vel per absentiam non utamur jure nostro. 2. Si alius invitum excludat ab actu ad eadem Jura spectante. 3. Si impedimenta objiciat, quo minus Jure nostro uti possimus, turbando in antiquis Juribus, solutionem pensionum negando, etsi interpellatus fuerit: & plura alia, de quibus exactius TT. & Canonistæ.

18 Quæritur 4. quæ sint commoda, & privilegia Possessionis? *¶* plura enumerant Molin. tr. 2. de Just. D. 16. Less. l. 2. c. 3. n. 25. Laym. l. 3. tr. 1. c. 7. n. 5. Pirh. hic n. 5. König n. 54. §. *seqq.* Wiest. n. 14. §. *seqq.* palsimque alij.

Et 1. quidem Possessio bonæ fidei parit præscriptionem, vi cujus & res & fructus ex re percepti (quamvis revera res aliena fuisset) post elapsum tempus à Jure præscriptum fiunt absolutè possessoris, ut infra Tit. 26. dicitur.

2. Si bonæ fidei possessori, antequam rem præscribat, incidat dubium, num res sua sit, nec ne, & post diligentem in-

quisitionem deprehendere veritatem non potuit, interim rem retinere, eaque frui potest, donec ipsi constet ad alium pertinere; nam in pari causa possessor potior haberi debet, ut habet Reg. 128. ff. §. 95. in 6.

3. Qui bona fide rem possidet, interim habet jus administrationis, & si annexum rei possessæ sit Jus eligendi, præsentandi, instituendi, valet electio, præsentatio, institutio, & in vigore suo manet, etsi postea constet proprietatem Juris non ad ipsum, sed ad alium spectare c. *consultationibus 19. de Jur. Patronat. c. querelam 24. de Elect. junct. Gloss. ibid. V. super Jure.* Ratio est, quia hujusmodi actus sunt quasi fructus talium jurium; fructus autem bonæ fidei possessor facit suos l. *bonæ 48. ff. de acquir. rer. domin.*

4. Si bonæ fidei possessor rem, aut 19 fructus illius alienet, vel absumat, putans se jus habere, postea verò appareat, rei dominium ad alium pertinuisse, non plus tenetur restituere, quam quo factus est ditior inde, & locupletior l. *item veniunt 20. §. prator hæc 6. junct. Gloss. V. facti essent ff. de heredit. petit.* Intellige autem de ijs fructibus, quos percepit ante contestationem litis; nam fructus, quos post contestationem litis percepit, universos, sive extantes, sive consumptos restituere debet: & ratio est; quia ex quo res in Judicium deducta est, scientiam malæ fidei possessionis accipit §. *si in rem 2. Instit. de offic. Jud. l. sed §. si 25. §. ante 7. ff. de heredit. petit. l. litigator 2. C. de fruct. §. lit. expens.*

5. Possessor bonæ fidei potest vim vi repellere, & possessionem suam armis tueri, illamque perditam, modò in continenti fiat, repetere c. *olim 12. de restit. spoliat. l. quod est 3. §. eum igitur 6. ff. de vi §. vi armat. l. rectè 9. C. unde vi.* Dixi in continenti; nam si ex intervallo alienæ possessionis naturalis simul, & civilis sive justæ, sive injustæ rem invadat, invalor, si res ipsius antea fuit, illam perdit. Si verò non erat, præter rem etiam dare æstimationem rei debet §. *ita tamen 1. Instit. de vi bonor. raptor. & l. siquis in tantam 7. C. unde vi.* Sed hæc Lex non amplius videtur esse in usu, ut Covar. l. 3. var. c. 16. n. 7. Less. l. 2. c. 3. n. 42. Molin. tr. 2. D. 16. n. 10. Fieri autem in continenti dicitur, quando hoc fit, quamprimum spectatis circumstantijs commode fieri potest.

6. Possessio bonæ fidei in Judicio parit præsumptionem dominij: unde, qui possidet, non tenetur probare rem suam esse, sed onus probandi rejicit in Adversarium l. *circa eum 14. ff. & l. possessiones 2. C. de probat.* Quodsi Adversarius non probet rem ad se pertinere, vel non satis probet, ut res dubia maneat, Judex pro possessore contra petentem judicare debet. *Excipe*, nisi aliunde vehemens conjectura, & præsumptio existat iniquam possessionem esse; nam hoc

hoc casu necessitas probandi incumbet possessori arg. l. vis ejus 15. junct. Gloss. V. aufu- gisse. C. eod.

7. Qui tempore litis contestata in- venit in possessione, à JUDGE defendi, & conservari in ea debet l. ait Praetor 1. ff. uti possidetis, & l. si quas 1. C. de servitut. nisi vi, clam, aut precario possideat. Et hoc ita verum est, ut licet aequalis sit actoris, & rei probatio, possessoris tamen testes praeferan- tur, nisi actor foveat causam favorabilem v. g. causam liberalem; in ea enim si utriusque testes fuerint aequales, sententia ferenda est pro libertate.

21 8. Eadem possessio longissimo tem- pore 30. vel saltem 40. annorum continuata, si possidenti Jus non resistat, fundat praesump- tionem tituli l. omnes 4. C. de praescript. 30. vel 40. annor. & c. Episcopum 1. de praescript. in 6. Continuata autem tempore imme- moriali inducit praesumptionem ejusdem, quae sit Juris, & de Jure, habetque vim pri- vilegij ex certa scientia à Principe concessi, ita

ut melior illa titulus de mundo allegari non possit, ut ex c. Episcopum cit. fin. c. super qui- busdam 26. v. praeterea de V. S. multis DD. relatis notat Barbof. in c. super cit. num. 4.

9. Possessor immobilium liberatur ab onere satisfaciendi de JUDICIO SISTI, idque ideo, quia hic cessat suspicio fugae, ut notant DD. in l. sciendum 15. ff. qui satisfac. cogant. Possessorem verò hic accipe, qui suo Ju- re, & irrevocabiliter jure directi, utilisve do- minij possidet; non verò creditorem, aut usufructuarium l. sciendum cit. §. creditor 2. Tantum quoque possidere debet, quantum requiritur pro quantitate, & aestimatione rei petita. Gloss. in §. sed hodie 2. Insit. de satis- dat.

10. Princeps non censetur dare privilegium, aut beneficium cum praedjudicio alterius in possessione existentis, nisi id ex- primat c. dudum 31. de privileg. quia univ. sim Princeps non facile confert uni gratiam cum alterius praedjudicio. Plura alia commoda le- guntur passim apud DD.

§. II.

De Proprietate.

S U M M A R I U M.

- 22. Definitio Proprietatis.
- 23. Et Dominij.
- 24. Differentia à Possessione.
- 25. 26. Varietas.

- 27. usque ad 38. Modi acquirendi Domi- nium.
- 39. Hujus effectus.

22 **Q**Uæritur 1. quid sit proprietas, & quot modis accipiatur? *¶* Proprietatis nomen etiam ipsum di- versas significationes habet; nam 1. hoc nomine aliquando venit quodcumque Jus extra possessionem, su- per quo JUDICIO PETITORIO contendi potest. Et in hoc sensu includit etiam Jus, quod ad rem vocatur, quale ad Prælaturam electus, ad Beneficium Ecclesiasticum præsentatus, ad rem sibi venditam, sed necdum traditam emptor habet; quia ad nos pertinere, & quodammodo proprium videtur, in quo so- lummodo Jus ad rem, sive quorum nomine actionem habemus, ut ex l. bonorum 9. in fin. ff. de V. S. notat Wisenbach. ad l. verbum 21. ff. eod. 2. Aliquando strictius signi- ficat solum Jus in re, sed qualecunque extra possessionem: conf. in hac significatione pro- prietatis nomine etiam venit Ususfructus, U- sus, habitatio, & alia servitutes; nam etiam hujusmodi Jurium proprietas, & la- tius saltem acceptum dominium datur, & qui pro ipsis agit, ea sibi tanquam Proprietario adjudicari in JUDICIO PETITORIO postulat. Mar- rant. de Ordin. Judic. p. 4. dist. 7. n. 1. Vallenf. hic §. 1. n. 2. Wiest. n. 47. 3. Denique, & strictissime, ac frequentissime sumitur pro

Dominio: & aliquando quidem pro Ple- no, prout fit l. si procurator 13. princ. ff. de acquir. rer. domini. & alibi non infrequenter; aliquando autem pro solo dominio directo, & ab utili distincto, prout fit l. si extraneo 46. pr. ff. de usufr. & l. fin. ff. de superfic. Hinc ulterius

QUæritur 2. quid sit Dominium? *¶* 23 Dominium late acceptum communissime defi- nitur, quod sit Facultas disponendi de aliqua re, tanquam sibi subiecta. Duplex est, unum Jurisdictionis, alterum Proprietatis. Jurisdictionis Dominium definitur, quod sit Jus gubernandi, judicandi, puniendi, protegendis sub- ditos, ab eisque emolumenta exigendi: de hoc præsentis Titulo nullus est sermo. Domi- nium proprietatis, quod huc pertinet, est Jus reale disponendi de re aliqua tanquam sua, nisi lege prohibeatur. Ita Less. l. 2. de Just. c. 3. n. 10. Laym. l. 3. tr. 1. c. 5. n. 2. Pal. tr. 31. D. un. p. 5. n. 3. Fermol. in c. 1. h. tit. q. 2. n. 9. König hic n. 72. Sannig c. 4. n. 2. Dixi 1. Jus reale: quo distinguitur à Jure perso- nali, quod non est dominium. 2. Di- sponendi de re aliqua tanquam sua: nam qui dominus rei est, potest illam destruere, ven- dere, alienare, & uti illa, prout placuerit, nisi lex prohibeat. Addunt aliqui de re